

VII. Non lucrantur nec assequuntur distributiones quotidianas pro horis, quibus non interfuerint (1) uti Sacra Congregatio Concilii declaravit quoad vicarium generalem, examinatores synodales et alias (2), etiam non obstante consuetudine contraria (3). Excipiuntur tamen canonici, missi a suis Episcopis ad visitanda limina Apostolorum eorum nomine, vel comitantes ipsos Episcopos ad eadem limina juxta Constitutionem Sixti V *Romanus Pontifex*, qui donec hujus rei gratia abfuerint, non tantum fructus præbendæ vel canonicatus, sed etiam distributiones lucrantur, perinde ac si officio divino et choro interessent (4).

*§ 2. De canonicis deputatis pro administratione seminarii.*

I. Concilium Tridentinum sess. XXIII, cap. XVIII, de reform. statuit et præscribit : « Quum adolescentium ætas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas; et nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, numquam perfecte ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio, in disciplina ecclesiastica perseveret; sancta synodus statuit, ut singulæ cathedrales, metropolitanæ atque his majores ecclesiæ, pro modo facultatum et dioecesis amplitudine, certum puerorum ipsius civitatis et dioecesis, vel ejus provinciæ, si ibi non reperiantur, numerum in collegio ad hoc prope ipsas ecclesiæ, vel alio in loco convenienti, ab episcopo eligendo, alere ac religiose educare, et ecclesiasticis disciplinis instituere tenantur. In hoc vero collegio recipientur... Quæ omnia atque alia ad hanc rem opportuna et necessaria episcopi singuli, cum consilio duorum canonorum seniorum et graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus sanctus suggesserit, constituent, eaque ut semper observentur, sæpius visitando operam dabunt... Et quia ad collegii fabricam instituendam, et ad mercedem præceptoribus et ministris solvendam, et ad alendam juventutem, et ad alias sumptus certi redditus erunt necessarii... iidem epis-

(1) Moneta p. 2, q. VIII, n. 12 et seqq.

(2) 17 Dec. 1627; 19 Junii 1638, 20 Sept. 1642; 9 Maji 1671, apud Bened. XIV, Instit. 107, § X; 28 Sept. 1858, apud Lucidi loco cit.

(3) S. C. C. 20 Jun. 1591, apud Garciam de beneficiis p. 3, cap. 2, n. 348.

(4) Bened. XIV de Syn. lib. XIII, c. VI, n. 2; Garcias loco cit. n. 349.

» copi cum consilio duorum de capitulo, quorum alter ab episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur; itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad episcopum, alterius vero ad clerum pertineat; ex fructibus integris mensæ episcopalis et capitulo... et beneficiorum quorumcumque... partem aliquam, vel portionem detrahent: et eam portionem sic detrac- tam, nec non beneficia aliquot simplicia... sine cultus divini et illa obtinentium præjudicio, huic collegio applicabunt et incor- porabunt... Rationes autem reddituum hujus seminarii episcopus annis singulis accipiat, præsentibus duobus a capitulo, et totidem a clero civitatis deputatis... In ecclesiis autem, amplias dioeceses habentibus, possit episcopus unum, vel plura in dioecesi, prout sibi opportunum videbitur, habere seminaria; quæ tamen ab illo uno, quod in civitate erectum et constitutum fuerit, in omnibus dependeant. »

Hæc est lex, de qua, an desuetudine vel consuetudine contraria abrogari possit, eodem modo ratiocinandum est, sicut de reliquis ejusdem Concilii Tridentini legibus (1). Certum autem est, eam nec abrogari nec immutari posse per potestatem civilem, quæ si aliam administrationem proponat, huic tamen, ad ecclesiæ jugum excutiendum, sese accommodare omnino non licet; et si necessitas urgeat, ad cavenda cum gubernio jurgia, lex tamen Tridentina semper ita æstimanda et honoranda est, ut observetur, quantum fieri potest, et quam primum circumstantiae permittunt, in viridi observantia restituatur. Præterea bonus alicujus seminarii status, mutatio circumstantiarum, quæ a tempore concilii diversæ esse dicuntur, aliæve rationes speciales per se non excusant ab obser- vanda lege Tridentina, cuius regulæ, dirigente Spiritu Sancto, præscriptæ sunt; quibus ordinationes particulares cedere debent; hasque illis præferre, omnino temerarium dicendum foret (2).

II. Vi concilii Tridentini ex capitulo duo constituendi sunt canonici consiliarii Episcopi pro spirituali seminarii administratione, atque duo pariter, sive iidem sive alii canonici, pro administra- tione temporali. Hos duos posteriores, diversos et non eosdem ac priores esse debere, nec textus concilii docet, nec ratio exigit (3).

Concilium pro duplice distincto officio duplicum deputatorum

(1) Vid. Acta S. Sedis, vol. XII, fol. 493.

(2) Vid. Bouix tract. de capit. p. 4, c. X, § 6.

(3) S. C. C. 21 Junii 1879 in Actis S. Sedis 1879, vol. XII, fol. 495.

speciem seu commissionem constituit. Prima species duorum canonicorum, quorum consilio uti debet Episcopus in iis, quæ spectant ad christianam et ecclesiasticam alumnorum educationem et regimen; altera vero species quatuor deputatorum, videlicet duorum canonicorum et duorum clericorum, quorum consilium Episcopus adhibere debet in temporali seminarii administratione. Verum cum sacrum Concilium loco supra allato loquens de rationum redditione, iterum mentionem faciat de seminarii deputatis his verbis: *Rationes autem reddituum hujus seminarii episcopus annis singulis accipiat, præsentibus duobus a capitulo, et totidem a clero civitatis deputatis;* dubitatum est, an his verbis tertia deputatorum species statuatur, distincta ab ea, quæ secundo loco præscribitur. Quamvis autem tum ex contextu dicti capituli Concilii Tridentini, tum etiam ex analogis declarationibus S. C. C. jam diu datis, facile colligi possit, Sacrum Concilium hic non præscribere tertiam deputatorum speciem a secunda distinctam; nihilominus S. C. Congregatio per resolutionem 31 Mart. 1855 omne dubium amovit. In hac causa contendebant canonici, in allegatis Tridentini verbis tertiam constitui deputatorum speciem, ad excipiendas rationes; et contra Episcopum censebat, deputatos, coram quibus reddituum ratio reddenda erat, eosdem omnino esse cum quatuor prioribus. Proposito itaque dubio: « An et quomodo » eligendi sint deputati ad excipiendam rationum redditionem » seminarii in casu: S. Congregatio respondit: *Affirmative, et » redditionem rationum excipiendam esse per quatuor deputatos, quorum duo ex capitulo, unus electus ab Episcopo, » alter a capitulo; et duo ex clero, unus electus ab Episcopo, » alter a clero » (1).*

III. Hæ duæ deputatorum species a se invicem omnino distinctæ sunt, ut liquet ex verbis Concilii Tridentini.

Electio duorum deputatorum pro administratione spirituali ad solum Episcopum pertinet, sicut Concilium expresse statuit his verbis: *Episcopi singuli cum consilio duorum canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus Sanctus suggesterit, constituent.* Oportet igitur: 1º ut sint canonici, et 2º seniores et graviores inter canonicos, non tam aetate, quam prudentia, scientia, experientia et probitate, quarum qua-

(1) Acta S. Sedis vol. I, fol. 691; vol. XII, fol. 497.

litatum judicium Episcopo relinquitur, prout Spiritus Sanctus ei suggesterit (1).

Altera species constat ex quatuor deputatis, ex quibus duo esse debent *de capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur:* duo alii *de clero civitatis, non de clero dioecesis, sed de clero civitatis episcopalibus, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad clerum pertineat.* Cum alterius autem electio ad clerum pertineat, dubitatur, utrum id intelligendum sit de solo clero civitatis, an vero de clero totius dioecesis. Textus Concilii quoad rationes reddendas: *Præsentibus duobus a capitulo et totidem a clero civitatis deputatis, innuere videtur, deputatum a clero civitatis eligendum esse: cum autem hæc verba significare possint, deputatum assumendum esse e clero civitatis, non vero per clerum civitatis eligendum; aliqui censem, electionem faciendam esse a clero totius dioecesis, quia seminarii administratio attinet ad totum clerum, et totius dioecesis clerus, si opus fuerit, taxam solvere, et ad seminarii sustentationem concurrere tenetur* (2). Unde affertur declarationis S. C. C. (3), juxta quam jus deputatum eligendi est penes clerum sæcularem et regularem, qui taxam solvit seminario; et ipse in dioecesana regulariter eligitur synodo, in qua totus congregatur clerus.

« Nihilominus sive quia eatenus aliquorum electorum contemptus electionem vitiat quatenus hi de ea excipient ex cap. Cum sicut 28 de elect. cum Glossa v. Consentire, Fagnan. in cap. Quia propter De elect., n. 38 seq. Piton. De controv. patr. alleg. 70 n. 8; sive quia sensim ex difficultate universum clerum convocandi et synodi dioecesanae celebrandæ, alia inoleverit disciplina, usus hodie vigere videtur ut seminarii deputati a solo clero civitatis elegantur. Imo Barbosa collect. ad cap. 18 sess. 23 Conc. Trid. n. 7 aperte hoc ponit principium: *Seminarii deputati electio sufficit fieri a clero civitatis.* » Ita apud Acta S. Sedis, vol. 22, p. 601.

In hac autem electione facienda a Clero civitatis adesse non possunt canonici, quia iidem ex consecutione canonicatus in cathedrali cessant esse pars de clero civitatis quoad hoc jus. Ibid. p. 603.

Quod si capitulum non habeatur, et canonici igitur non sint,

(1) Bouix loco cit. § II, n. 1.

(2) Bouix loco cit. § III, n. 1.

(3) 15 Sept. 1792, *Tud.* apud Zamboni tom. 4, *Seminarium*, § III.

qui eligi possint, respondit S. C. Congregatio (1) esse providendum pro nunc per deputationem graviorum et seniorum de clero loco deficientium capitularium, ad formam in reliquis S. Concilii Tridentini. Item in casu absentiae et temporanei impedimenti alicujus ex deputatis declarat, alium subrogandum ab iis, a quibus facta est electio deputati absentis vel impediti (2).

Modus deputatos eligendi per capitulum et clerum, non determinatur, et fieri potest vel secreto, vel viva voce (3).

IV. Deputati, semel electi, sive pro spirituali sive pro temporali administratione, sunt perpetui, et pro arbitrio amoveri non possunt (4), ut semper adsint, qui experientia sua officio deputato melius fungantur, et plena disciplinæ et rerum ad seminarium pertinentium cognitio nunquam deficiat. Amoveri tamen possunt, sed tantum ex justa et legitima causa (5), uti propter infirmitatem, senectutem, imprudentiam, similesque causas, quibus minus capaces fierent.

V. Consilium duorum canonicorum, ad spiritualem administrationem deputatorum, adhibendum est circa omnia, quæ Concilium Tridentinum loco supra citato statuit et præscribit, atque circa alia similia ad hanc rem opportuna et necessaria, videlicet circa mores et disciplinam, in constituendis regulis universalibus seminariorum, in electione puerorum introducendorum, punitione discolorum ac eorumdem expulsione, in electione loci, magistrorum, confessorum, librorum legendorum, in visitatione, etc. (6).

Consilium autem aliorum quatuor deputatorum ad temporalia, requiritur in constituenda taxa seminario solvenda, unione beneficiorum, reddenda ratione reddituum singulis annis facienda, in difficultatibus ob quas seminarii instructio vel conservatio impediretur vel perturbaretur, in deputatione et expulsione rectoris

(1) 15 Jan. 1791, *Pinheien*.

(2) 31 Mart. 1855, *Arboren*. Acta S. Sedis, vol. 1, fol. 696

(3) *Analecta juris Pontif. 9* sér. 1867, fol. 627.

(4) S. C. C. Jul. 1589, *Salernitana* dub. 1 et 4; 7 Jul. 1591, *Papten*; Acta S. Sedis vol. I, fol. 695, Bouix loco cit. § II, n. 2 et § III, n. 2.

(5) S. C. C. eadem dec. et 24 Mart. 1736 *Tricarten* dub. 3, apud Zamboni, vol. 3, *Seminarium* § III, n. 5, 6 et 10.

(6) S. C. C. Oct. 1585, *Oscen*; Jul. 1589, *Salernitana*, dub. 3, apud Zamboni, *Seminarium*, tom. 3, § II, n. 1, § III, n. 3; Acta S. Sedis, vol. 1, fol. 692; Bouix loco cit. § II, n. V.

et ministrorum, in expensis quotidianis, ac in omni temporali administratione, præterquam in exactione seu compulsione ad taxam seu portionem seminario debitam, quæ ad solum Episcopum spectat (1).

VI. Deputati votum tantum consultivum habent. Episcopus tamen consilium eorum omnino exquirere tenetur: alias actus non valet, cum tale consilium pro forma a concilio requisitum videatur (2); et alias uniones beneficiorum irritæ sunt (3). Licet autem Episcopus consilium eorum adhibere debeat, illud tamen sequi non tenetur (4); ita ut omnis jurisdiction, regimen, gubernatio et administratio seminarii spectet ad Episcopum, qui deputatorum consilio juvari debet; eo autem auditio statuere et facere potest, quæ pro sua prudentia et pietate meliora existimaverit.

VII. Canonici deputati, causa administrationis seminarii a choro absentes, privantur distributionibus quotidianis (5), sicut eas amittunt duo canonici, qui in servitio Episcopi existunt, ut dictum est § præc. n. VII, quia hæc administratio tantum tempus non requirit, ut idcirco chori assistantiam omittere cogantur.

VIII. Quæ dicta sunt, limitationem patiuntur quoad seminaria, quæ auctoritate Apostolica tradita sunt curæ et regimini alicujus ordinis regularis, in quantum et quatenus præscriptioni Concilii Tridentini legitime derogatum fuerit (6).

### § 3. De duobus canonicis in certis casibus per Concilium Tridentinum requisitis.

I. Concilium Tridentinum sess. XXI, cap IX de reform. « In dulgentias aut alias spirituales gratias, quibus non ideo Christi fideles decet privari, deinceps per ordinarios locorum, adhibitis

(1) S. C. C. Oct. 1585, *Oscen*; Jul. 1589, *Salernitana* dub. 3; 5 Oct. 1594, *Cavrien*; 19 Jan. 1595, *Nullius*; 26 Mart. 1689, *Fundana*, dub. 3; 24 Mart 1736, *Tricarten*, dub. 1; apud Zamboni tom. 3, *Seminarium* § II, n. 1, 2, 3, 4, 5 et 13, et § III, n. 7; Acta S. Sedis, vol. 1, fol. 693; Bouix loco cit. § III, n. V.

(2) Lucius Ferraris, *Seminarium*, n. 11.

(3) S. C. C. 13 Jan. 1594; Acta S. Sedis ibidem fol. 694.

(4) S. C. C. Oct. 1585, *Oscen*; 26 Mart. 1689, *Fundana*, dub. 3.

(5) S. C. C. 20 Nov. 1819; *Analecta juris Pont. sér. 9*, 1867, fol. 627.

(6) Bened. XIV de Syn. Diœc. lib. V, cap. XI, n. 9; Bouix loco cit. § V; *Analecta juris Pont. sér. 9*, 1867, fol. 614, V et seq.

» duobus de capitulo, debitibus temporibus populo publicandas esse  
» decernit - (1).

II. Sess. XXIV, cap. XII de reform. statuit : « Cetera, quæ ad  
» debitum in divinis officiis regimen spectant, deque congrua in  
» his canendi seu modulandi ratione, de certa lege in choro con-  
» veniendi et permanendi, simulque de omnibus ecclesiæ ministris  
» quæ necessaria erunt, et si qua hujusmodi; synodus provin-  
» cialis, pro cuiusque provinciæ utilitate et moribus, certam  
» cuique formulam præscribet. Interea vero episcopus non minus,  
» quam cum duobus canoniciis, quorum unus ab episcopo, alter a  
» capitulo eligatur, in iis, quæ expedire videbuntur, poterit pro-  
» videre. » Quid quoad hoc in provincia Mechlinensi præscriptum  
fuerit, vid. in primo Concilio provinciali 1570, tit. IV, et in tertio  
Concilio 1607, tit. XII.

III. « Statuit sancta synodus, ut in omnibus ecclesiis cathedra-  
» libus et collegiatis decretum sub fel. rec. Paulo III, quod in-  
» cipit, capitula cathedralium, observetur, non solum quando  
» episcopus visitaverit, sed et quoties ex officio, vel ad petitionem  
» alicujus contra aliquem ex contentis in dicto decreto procedat :  
» ita tamen ut, quum extra visitationem processerit, infrascripta  
» omnia locum habeant : videlicet, ut capitulum initio cuiuslibet  
» anni eligat ex capitulo duos, de quorum consilio et assensu  
» episcopus, vel ejus vicarius, tam in formando processum, quam  
» in ceteris omnibus actibus usque ad finem causæ inclusive, coram  
» notario tamen ipsius episcopi, et in ejus domo, aut consueto  
» tribunali, procedere teneatur. » Sess. XXV, cap. VI, de reform.  
Huic decreto de canoniciis adjunctis non est locus, ut scribit Benedictus XIV de syn. lib. XIII, cap. IX, n. IX, nisi cum agitur de  
capitulo ab Episcopi jurisdictione exempto, et Episcopus contra  
canonicum procedere intendit extra visitationem.

IV. Sess. XXV, cap VIII de reform. « Quod si hospitalia hæc  
» ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum persona-  
» rum genus suscipiendum fuerint instituta; nec in loco, ubi sunt  
» dicta hospitalia, similes personæ, aut perpaucæ reperiantur;  
» mandat adhuc, ut fructus illorum in aliud plium usum, qui  
» eorum institutioni proximior sit, ac pro loco et tempore utilior,  
» convertantur, prout ordinario cum duobus de capitulo, qui rerum

(1) Vid. Dec. S. C. C. 1574, *Neritonen*, dub. 2; 24 Aug. 1619, *Melivitana*;  
16 Sept. 1662, *Suessionen*, dub. 7, apud Zamboni tom. 2, *Indulgentia*, n. 1, 2 et 3.

» usu peritiores sint, per ipsum diligendis, magis expedire visum  
» fuerit; nisi aliter forte. etiam in hunc eventum, in eorum funda-  
» tione, aut institutione fuerit expressum : quo casu, quod ordina-  
» tum fuit, observari curet episcopus; aut si id non possit, ipse,  
» prout supra, utiliter provideat. »

## CAPUT XV.

DE CAPITULO, QUATENUS ECCLESIAE EST SENATUS AC EPISCOPI  
CONSILIUUM.

## § 1. Notio generalis.

« Monumenta ecclesiastica expedenti (1) id præcipue colligere  
licet, capitulorum potestatem et eminentiam a primis Ecclesiæ  
sæculis fuisse maximam, nec per plura sæcula defecisse; postea  
vero Ecclesiæ, quæ semper disciplinam pro temporum et circum-  
stantiarum necessitate sapienter attemperat, visum esse coarctan-  
dam, quo facilius Pastoris, id est, Episcopi actio explicaretur.  
Notabilis autem hujusmodi coarctatio tunc evenit, quando ab  
archidiaconis sublata est jurisdicção ordinaria, et ad vicarios gene-  
rales ad nutum revocabiles translata; quod paulatim variis conci-  
liorum decretis inductum est. Præcipue vero sacrosancta Synodus  
Tridentina intra arctiores limites capitula conclusit; et ex illo  
etiam tempore in Summorum Pontificum actis et congregationum  
Romanarum decretis adverti potest permanens eadem Ecclesiæ  
tendentia, ut collegiorum illorum potestatem potius imminuat  
quam dilatet. Cujus moderationis sapientiam experientia et facta  
ipsa satis demonstrant. Capitula scilicet pro institutionum huma-  
narum fragilitate et proclivi ad deterius natura, eo paulatim multis  
in locis devenerant, ut, dum capitulæ sui, nempe Episcopi, actionem  
juvare et complere tanquam obsequentia et utilia membra debe-  
rent, intricatis eam e contra difficultatibus irretirent. Obscurabatur  
interea apud non pauca hujusmodi collegia vitæ clericalis antiquus  
splendor et primordialis integritas. Dum ergo parum ædificationi  
populorum conferent, atque ecclesiæ regimini plus obesse quam  
prodesse passim viderentur, non mirum est, Ecclesiam ad salutaris

(1) Ex Bouix de capitulis p. 4, cap. 1.